



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Fulvii Androtii Societ: Iesv Theologi Opuscula spiritualia**

**Androzzi, Fulvio**

**Coloniae, 1611**

Suauitas Sacramenti non ab omnibus percipitur.

[urn:nbn:de:hbz:1-48641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:1-48641)



cul discedite à me: nec vos mihi, nec ego vobis rectè coniungor. Si vos seruos & ministros mihi esse voluit Dominus: eritne ratio, vt ego adultera fidem frangam tali sponso? prodamne Dominum meum per illos ipsos seruos, quos mihi concessit?

Ergo Deus meus, etsi omnia mea sint, cur non amem te? cur non tibi tradam totum cor meum? cur non semper ardeam coelesti tuo igne? *O Maria s v dulcis: ô Iesu amor!*

*CVR SVAVITAS HVIVS SACRAMENTI non percipiatur ab omnibus.*

**F**lt hoc primo vitio illius, qui ante Communionem non satis animum ad eam comparauit. Vt enim coelum, quia oculis caret, lucis suauitatem, licet præsentissimam non sentit: ita multorum palati eo modo corrupti sunt, vt rerum spiritualium, tametsi præsentibus sint, nullum habeant gustum. Nam, vt S. Paullus inquit, *Ho. 1. Cor. 2. mo animalis, id est, qui altarum animantium more, solo ducitur sensu, non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei.* Fit deinde ex defectu considerationis, quod sanctissimus

E  
mus



mus hic cibus non satis ruminetur. Nā qui illum subito deglutiunt, profectō gustu careant necesse est, vt & illi qui eum ore cordis non attingunt. Vt igitur dulcedinem huius cibi sentias, necesse est ruminare, & petere opē à Deo, vt intelligentia, sanctisq̄ & profundis cogitationibus de hoc SS. Sacramento, aliquem eius gustum habere possis.

**QUATVOR IN HOC SACRAMENTO consideranda.**

**G**VILIELMVS parisiensis, quatuor res, inquit, in hoc Sacramento considerandas.

1. Admiranda Dei potentia, quæ tam miro modo panem & vinum visibilia trāsmutat, in corpus & sanguinem Christi inuisibilibs: relinquēs species panis & vini sine natura & essentia illorū.
2. Prudentia seu sapientia Dei quæ prouidit animæ nostræ de cibo tā conueniente. Ipsa præsertim externa specie panis & vini, inuitante nos, vt securi, libentesque accedamus.
3. Diuitiæ bonitatis Dei, qua tam liberaliter nobis talem cibum offert, cum tanta hilaritate & lætitia.
4. Memoria diuinæ misericordiæ, quæ filio proprio non pepercit, sed cū morti tradidit, vt etiam in hac vita perpetuum

de



COMMUNIONE. 75

de illo gaudium habere possemus. O res  
verè digna, quæ nos semper attonitos  
reddat sui cogitatione.

**CVR NON OMNES SENTI-**  
*ant suauitatem in hoc Sa-*  
*cramento?*

**Q**uod nō sentiatur suauitas in hu-  
ius Sacramenti percēptione, fit ex  
eo, quòd non magni fiat peccata ve-  
nialia scienter admiffa. Proprius enim  
huius Sacramenti effectus est, efficere  
animam puram & mundam noua con-  
solatione & refectione: sed peccata ve-  
nialia vehementer obsunt puritati &  
nitenti huic, & deuotionē impediunt a-  
ctualem, quæ ad huius suauitatis gustatū  
est necessaria. Concludi igitur hoc cer-  
tò potest peccatis venialibus fieri, vt  
dulcedo diuinissimi Sacramenti non  
sentiatur. Caueamus ergo illa, vt pestes:  
Deum q̄ precemur, vt det nobis illū ani-  
mum, vt mori malimus, quàm scienter  
committere, vel veniale peccatum.

**MODI VARIJ PRÆPARAN-**  
*di se ad sacram Commu-*  
*nionem.*

*S. Mechthilis consueuit ante Communio-*  
*nem d. cere quinquies, Aue Maria.*

**E**

**P**